

utque non vulgarem apud multos gratiam, virtutis opinione collegerat, magnam subito pecuniæ vim corrogavit, qua mercatoribus hæreticis summa rependeretur, ab iis in adornandam navim contributa. Sic illis rejectis & invitis, Patres admissi fuerunt. At, quia interim extrac^{um} tempus fuerat, non ante VII. Kalend. Februarias, cum hyemaret asperum æquor, vela sunt facta. Hinc mensium quatuor cursus fuit, qui vulgo duorum est; ac morbis intus, tempestatibus foris, infestus. Ingressi demum ostia Laurentiani fluvii XI. Kal. Junias, ipso sacro Pentecostes die, vestigia Christianæ religionis aliqua invenere, leviter ab iis quos è Gallia profectos in hanc plagam diximus, impressa. Cum enim illis ignotus gentis sermo, nec certum